

causas dijudicandas bis in anno celebrentur Concilia Provincialia, unum ante Quadragesimale tempus, alterum in Autumno. Sextus Canon, Patriarcharum jura confirmat, & præcipit, ut antiqua per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim seruetur consuetudo, ita ut Alexandrinus Episcopus in his locis suam jurisdictionem exercent, exemplo Romani Pontificis, cui parilis mos est, nimirum ut potestatem habeat in omnes sui Patriarchatus Ecclesias, Ordinationes celebrando, vel confirmando, & totius Patriarchatus sui Concilia congregando.

D. Canon iste sextus Concilii Nicæni mihi subobscurus videtur, nec adhuc, ut candide fatear, assequor quid sibi velit? Clarius itaque exponere, quænam sint illa jura, ac privilegia, quæ Synodus Nicæna tribuit Episcopo Alexandrino, in quo jura, & privilegia Episcopi Alexandrini componantur cum jure, & privilegiis Episcopi Romani?

M. Circa istius sexti Canonis Concilii Nicæni intelligentiam viri eruditi digladiantur, & necdum inter illos convenit. Alii cum Joanne Launofo dissertatione de *vestra Nicæni Canonis sexti intelligentia*, contendunt, eo Canone Alexandrinum inter & Romanum Episcopum comparationem dumtaxat institui quoad jus Metropolitanum Ordinationum. Alii vero, quorum sententiæ utroque pollice subscribo, docent, hunc Canonem sextum Concilii Nicæni non de Metropolitanis, sed de Patriarchis esse intelligendum, eoque Alexandrinum Episcopum cum Romano componi non solum quoad jus Metropolitanum, verum etiam quoad jura Patriarchica tam celebrandarum Ordinationum, aut confirmandarum electionum, quam circa omnia alia jura, & privilegia Patriarchicæ dignitatis, itant genuinus sensus hujus Canonis sit, Episcopum Alexandrinum in Ægypto, Lybia & Pentapoli omnibus jure, & privilegiis Patriarchicæ dignitatis frui debere, quibus Romanus Pontifex in Ecclesiis, quæ ejus Patriarchatui subdicebantur, potiri solebat. Verum, cum in isto Canone sexto Concilii Nicæni termini Patriarchatus Alexandrini assignentur, sed de Romani Patriarchatus terminis nihil statuatur, variæ innatae sunt opiniones de terminis Patriarchatus Romani Pontificis, præsertim ob perplexam Rufini Aquilejensis Presbyteri interpretationem, qui hunc Canonem sextum Concilii Nicæni his verbis exposuit: *Ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo seruetur, ut ille Ægypti, velut hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ex hac, inquam, Rufini interpretatione orta est gravissima inter Criticos de suburbicariis Ecclesiis contentio. Alii, Regiones, seu suburbicarias Ecclesias, quarum Romanus Pontifex sollicitudinem gessisse ait Rufinus, redigunt ad quatuor dumtaxat Regiones, videlicet *Tusciam suburbicariam, Picenum Suburbicarium, Latium vetus, & Latium novum.* Alii suburbicarium Ecclesiarum nomine, eas intelligunt, quæ continebantur decem Provinciis urbis, ita dictis, quia decem illas Provincias Vicarius Urbis Romæ sub Præfecto Prætorio regebat. Haec autem

decem Provincias, juxta divisionem a Constantino Imp. statutam, ut videre est in notitia Imperii, erant istæ: *Campania, Tuscia* simul cum *Umbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia, Apulia* simul cum *Calabria, Bruttii* simul cum *Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria.* Verum, qui ita sentiunt, Patriarchatum Romani Pontificis intra angustiores terminos coarctant. Rem acu tetigisse videtur doctissimus *Valesius*, qui censeret, Rufinum per Ecclesias suburbicarias intellexisse totius Occidentis Ecclesias speciali jure subditas Romano Pontifici, ac subinde Patres Concilii Nicæni in hoc Canone sexto definire voluisse, quod sicut Sedes Romana habet potestatem super omnes Ecclesias suburbicarias, idest super omnes Ecclesias Occidentis Romano Patriarchatui subditas, ita & Sedes Alexandrina potestatem habere debet supra omnes Ecclesias Ægypti, Lybiæ & Pentapolis suo juri Patriarchico subditas. Si plura circa expositionem illius sexti Canonis Concilii Nicæni scire aveas, legis eruditum Schelstratum, qui Joannis Launofo, *Valesii, Petri Marcæ, & aliorum* opiniones accurate examinat, ac refellit parte 1. Antiq. Illustr. dissertat. 2.

D. Genuinum sensum sexti Canonis Concilii Nicæni dilucide exposuisti, sed synopsis aliorum Concilii Nicæni Canonum necdum integram exhibuisti.

M. Septimus Canon Episcopo Hierosolymitano Patriarchicum honorem propter dignitatem Civitatis, in qua præcipua Religionis Nostræ Mystera completa sunt, concedit, sed tamen Casariensis Metropolitanæ, cui subdicebat Episcopus Hierosolymitanus, jura facta testata conservat. Octavus Canon Novatianos ad Ecclesiam redeuntes, & manuum impositione reconciliatos, si Clerici sint, in Clericatu manere decernit, modo in scriptis profiteantur, se Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscepturos; si vero Novatiani veniens ad Ecclesiam fuerit Episcopus, statuit, ut Sacerdotii habeat dignitatem, nisi forte Episcopo Catholico placuerit Episcopalis nominis honorem ei concedere, si vero non placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterii locum. Canones nonus, & decimus a sacris Ministeriis illos suspendunt, qui absque prævio examine ad Sacerdotium promoti, vel aliquod crimen confessi, vel persecutionis tempore lapsi sunt. Canon undecimus, lapsis in persecutione *Licini* Imp. tempus poenitentiae præfigit. Canon duodecimus, illis, qui sæviente persecutione sese Idololatriæ exposuerant, resumendo militiæ cingulum jam pro Christi fide abjectum, poenitentiam tredecim annorum injungit. Canon decimus tertius, decernit, ut extreme laborantibus, seu moribundis ultimum, & maxime necessarium Viaticum non denegetur. Per illud autem ultimum, & maxime necessarium Viaticum multi viri eruditi intelligunt non Eucharisticam communionem, sed absolutionem sacramentalem a peccatis. Canon decimus quartus, Catechumenorum in persecutione lapsorum præscribit poenitentiam. Canon decimus quintus, Translationem Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum de una Ecclesia ad aliam prohi-

prohibet. Canon decimus sextus, Presbyteros, aliosque Clericos in Ecclesiis, pro quibus sunt ordinati, permanere jubet. Canon decimus septimus, Uxorios a Clero arceat. Canon decimus Octavus, Diaconorum fastum deprimit, ipsisque inhibet, ne Sacerdotibus Eucharistiam porrigant, aut inter Sacerdotes sedeant. Canon decimus nonus, Pauli Samosatani Sectatores dictos *Paulianistas* ad Ecclesiam redeuntes baptizari præcipit, quod eorum Baptisma, verbis Evangelicis non consecratum, invalidum esset. Canon denique vigesimus, vetat ne diebus Dominicis, & diebus quinquaginta a Paschate ad Pentecosten Fideles flexis genibus orent.

D. Numquid alios Canones, præter istos viginti, edidit Synodus Nicæna?

M. Viginti dumtaxat Canones, quorum Synopsim exhibui, pro genuinis haberi debent. *Franciscus Turrianus* Canones Nicænos LXXX, ex antiquo exemplari Arabico exscriptos publicavit, & post aliquot annos prodiit alia versio *Abrahami Echellensis* Maronitæ, in qua LXXXIV. Canones Nicæni cum multis ejusdem Synodi Statutis exhibentur. Verum omnes isti Canones, quos cunctæ Orientis Sectæ, scilicet Melchitæ, Nestoriani, Cophti, Abyssini, Armeni, Græci & Maronitæ ut legitimos Concilii Nicæni Canones agnoscunt, nunc ab omnibus viris eruditis communi calculo exploduntur tanquam omnino supposititii, quippe qui varia continent contra omnem antiquitatem, immo contra Concilium Nicænum pugnantia. Sunt quidem illi antiqui, sicut ostendit *Abrahamus Echellensis*, sed tamen post Concilium Chalcedonense proculsi, cum in eis sæpe *Patriarchæ* nomen legatur, quod tamen primum audiri cœpit. Plura de his Canonibus legere potes apud Schelstratum parte 2. Antiq. Illustr. dissertatione 2. cap. 4.

D. Narrasti ne omnia quæ gesta sunt in Concilio Nicæno?

M. Duo adhuc supersunt Facta singulari sane observatione digna, quæ Socrates, & Sozomenus memoriae prodiderunt, & quæ ipse breviter attingam. Primum est, quod *Acecius* Novatorum Episcopus a Constantino Imperatore interrogatus, cur tandem aliquando non rediret ad communionem Ecclesiæ, cujus tamen doctrinam in Concilio Nicæno approbaverat? Respondit, in causa esse nimiam indulgentiam, qua Ecclesia ad communionem lapsos recipiebat. Ad hæc festive reposuit Imperator: *Aceci scalas igitur admove, & solus in Cælum ascende.* Alterum Factum consistit in Historia Paphnutii, qui, licet propter maximam castimoniam in magna famæ celebritate semper vixerit, attamen cum videret, Patres Concilii Nicæni propendere ad ferendam legem, qua Episcopi, Presbyteri & Diaconi separari deberent ab uxoribus, quas ante Ordinationem, idest cum adhuc laici essent, in matrimonium duxerant, vehementer vociferatus est, asserens: *Illud satis esse, ut qui in Clerum ante adscripti erant, quam duxissent uxores, hi, secundum veterem Ecclesiæ traditionem, deinceps a nuptiis sese absterent; non tamen quemquam ab illa, quam jam pri-*

dem, cum laicus erat, uxorem duxisset, se jungi debere. Quibus Paphnutii verbis totus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conventus præbuit assensum. Hanc Paphnutii Historiam referunt Socrates lib. 1. Hist. Eccles. cap. 8. Sozomenus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 22. Cassiodorus lib. 2. Hist. Tripart. cap. 14. & Nicephorus lib. 8. Hist. Eccles. cap. 19. Ex qua Historia duo maxime observanda colligunt viri eruditi. Primum est, quod Patres Concilii Nicæni, licet Canone tertio prohiberint Clericis ne habitarent cum mulieribus *subintroductis*, idest extraneis, non tamen prohibuerunt Clericis ne manerent cum uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant, nec illis continentiam ab uxoribus ante sacram Ordinationem ductis præceperunt. Alterum est, quod quamvis Nicæna Synodus de Clericorum cœlibatu nihil statuerit, ejus tamen temporibus Episcopi, Presbyteri & Diaconi perpetuam continentiam servabant ex Ecclesiæ disciplina, diuturno usu & ab Apostolicis temporibus derivato firmata, quam *Siricius*, & alii deinde Pontifices, Conciliaque decretis suis, atque Canonibus roborarunt. Cujus disciplina, & legis sanctionem male feriat Hæretici castimoniam oforas magno quidem, sed inani studio, irritoque conatu impugnant.

D. Doctrina definita in Concilio Nicæno fuitne unanimes omnium Ecclesiarum consensu approbata?

M. Omnes Ecclesiæ doctrinam in Concilio Nicæno definitam summa veneratione exceperunt, eique singuli Episcopi subscripserunt, si tamen excipias *Secundum* Ptolomæidis, & *Theonam* Marmaricæ, qui retinendi erroris tenaces, una cum *Aerio* Constantini Imperatoris jussu in exilium missi sunt. Ast, paulo post celebrationem Concilii Nicæni multas Ariani celebrarunt Synodos, in quibus varias eudentes fidei formulas in id toti incubuerunt, ut fidem Nicænam omnino everterent, ac profligarent. In primis, anno 328. vel ut alii volunt 330. Antiochiæ indixerunt Synodum, in qua Eustathius Episcopus Antiochenus, cujus eximia pietas cum singulari doctrina conjuncta in Concilio Nicæno effulserat, Sede sua depositus est. S. Athanasius *Alexandri* in Sede Alexandrina successor, & Catholicæ fidei assertor ad causam dicendam ab Ariani accitus est in Synodo Cæsariensi habita anno 333. & Sede sua dejectus est in Synodo Tyria anno 335. *Marcellus* Ancyranus Episcopus, qui in Arianos scripserat, damnatus est in Concilio Constantinopolitano ab Ariani coacto anno 336. *Paulus* Episcopus Constantinopolitanus Sede sua fuit abdicatus in alio Ariatorum Conciliabulo anno 338. & in ejus locum *Eusebius* Nicomedensis vir a capite ad talos plane Ariani fuit intrusus. In Concilio Antiocheno habito anno 341. Ariani S. Athanasium Sede deposuerunt, & *Gregorium* Ariani in ejus locum subrogarunt. Rursus anno 345. juxta Clarissimum Pagium, Ariani Antiochiam convenerunt, ibique celebrarunt Synodum, in qua promulgarunt prolixam fidei formulam, quæ ideo *μακροβιβλος* vulgo cognominatur, quamque Episcopi Occidentales anno 346. in prior

Concilio Mediolanensi, propter Encania, seu Dedicacionem Templi congregati suscipere noluerunt. Sic Ariani fidem Nicenam penitus extinguerunt, & Sanctum Athanasium opprimere totis suis viribus tentarunt. Sed ad nihilum reciderunt illorum conatus. Nam Sanctus Athanasius in Concilio Alexandriae habito anno 340. & in Concilio Romae anno 342. a Julio Papa convocato fuit innocens pronuntiatus. Fidem Nicenam approbarunt Episcopi Occidentales in priori Concilio Mediolanensi anno 346. Cumque quatuor Episcopi Ariani, videlicet *Demophilus*, *Macedonius*, *Eudoxius* & *Martyrius*, Hæresim Arianam abjurare nollent, ab isto jam incepto Mediolanensi Concilio discesserunt irati, prævidentes in eo reprobarum iri Arianismum. At cum Ariani patrocinio Constantii Imperatoris freti novos in dies excitarent tumultus, indictum est anno 347. Concilium Generale Sardicense.

D. Antequam ulterius progrediari, scire velim, num adhuc supersint Canones editi ab his Conciliis, quæ mox recensuisti?

M. Supersunt adhuc viginti quinque Canones editi in Synodo Antiochena habita anno 341. in quibus Anathemate plebuntur illi, qui contra Nicenam Decretum Synodi Pascha cum Judæis celebraverint. A Sacris Ministeriis excluduntur Clerici, qui ab una Ecclesia, invito Episcopo, migrant in aliam. Prohibetur Episcoporum ab una Ecclesia ad aliam translatio. Statuitur residentia Episcoporum, ipsique sub excommunicationis, & exaurationis pena aditus ad Aulam interdicitur. Chorepiscoporum Jurisdictio certis limitibus circumscriptur. Conciliorum Provincialium auctoritas, nec non Metropolitanorum, & Episcoporum Jurisdictio confirmatur. In ultimo Canone præscribitur Episcopis modus bona Ecclesiastica dispensandi, ipsique inhibetur, ne illa bona convertant in domesticos usus. *Bellarminus* lib. 1. de Conciliis cap. 5. cum videret, plures ex his Antiochenis Canonibus sanctioris disciplinæ studium spirare, existimavit, istos Canones non fuisse editos in Synodo Antiochena celebrata anno 341. in qua superiores erant Ariani a veræ pietatis sensu omnino alieni, sed putat, illos fuisse editos in alia Synodo Provinciali triginta Episcoporum Antiochiæ habita. Verum, probabilius censet *Pagius*, Synodo Antiochena celebrata anno 341. interfuisse, teste Sancto Athanasio in lib. de Synodis, nonaginta Episcopos, quorum quadraginta erant Ariani, alii vero quinquaginta erant Orthodoxi. Addit vero *Pagius*, in primordiis illius Synodi Antiochenæ summa omnium Episcoporum consensione conditos fuisse hosce vigintiquinque Canones, sed post solutam Synodum a solis Ariani Episcopis dijudicatum fuisse causam Sancti Athanasii, qui ab illis fuit Sede depositus. Unde consequens est, non esse culpandam Synodum Antiochenam, cui interfuerunt quinquaginta Orthodoxi Episcopi, sed illud solum improbandum esse Conciliabulum, quod a solis Episcopis Ariani post veram Antiochenam Synodum habitum

est, & Sanctum Athanasium deposuit. Cum igitur in primordiis Synodi Antiochena Orthodoxi Episcopi superiores essent Episcopis Ariani, nemini mirum videri debet, quod in ea conditi fuerint viginti illi quinque Canones, quos ad faciendam disciplinam apprime utiles approbavit Ecclesia, ut constat ex auctoritate Concilii Chalcedonenfis, & ex testimonio *Ferrandi*, *Johannis* Antiocheni, *Dionysii Exigui*, *Sancti Casarii* Arelatenfis Episcopi aliorumque plurimorum antiquorum. Unde omnes tam in Occidente, quam in Oriente, qui Canones exposuerunt, aut Canonum Collectionem adornarunt, unanimi consensu Antiochenos Canones tanquam legitimos agnoverunt. (a)

(a) „ Nodum hunc in historia hujus sæculi „ omnium maxime implexum ita solvunt Balle- „ rini fratres in append. ad opera S. Leonis Ma- „ gni edit. suæ tom. 3. pag. 25. Suspiciantur igitur „ sub uno, eodemque Antiocheno Concilio „ duo diversorum temporum Concilia Antioche- „ na confusa esse in unum. Ex his alterum ha- „ bitum credunt an. 341. quo plures Episcopi „ occasione solemnæ dedicationis templi Antio- „ cheni Antiochiæ convenientes Synodum ha- „ buerunt; cum vero illi omnes Ariani essent pro- „ fessione, ideo Synodus ista ab Ariani cele- „ brata fertur, eademque in Catholicos Episco- „ pos se præbuit iniquam. Ab hoc Concilio ne- „ quaquam latos censent Canones tota antiquitate „ celebres, quique à SS. Episcopis catholicis ado- „ ptati sunt, quique tandem in omnes Catholi- „ corum canonum collectiones venerunt. Hosita- „ que Canones editos statuunt in altera Synodo „ Antiochena, quæ convenit an. 332. quæque „ ex Episcopis tantum Diocesis Antiochenæ con- „ stitit; conveniant enim illi, ut novum episcopus, „ priore jam mortuo, Ecclesiæ illi da- „ rent. Tunc vero Canones illi scripti à Catho- „ licis Episcopis probati. Quia vero Concilium hoc „ obscurum extitit; & vicissim Concilium in de- „ dicatione templi habitum ex rebus ibi gestis „ longe lateque claruerit, hinc factum, ut me- „ moria Synodi Antiochenæ an. 332. excide- „ rit, & sola memoria Synodi dedicationis an. „ 341. remanserit, adeoque Canones an. 332. „ posteriori huic Concilio an. 341. ascriberentur. „ Opinionem hanc suam *Ballerini* multis „ rationibus fulciunt; expendunt præsertim no- „ mina *Theodori* Laodicensis, *Jacobi* Nisibensis, „ & *Anatolii* Emisensis, quæ in Catalogo Epi- „ scoporum subjecto Canonibus hisce leguntur. „ Profecto enim *Theodorus* Laodicensis an. 341. „ infulas illas jam reliquerat, *Jacobus* Nisibensis „ an. 338. obiit, *Anatolius* vero Synodo an. 341. in- „ terfuisse nequaquam potuit, cum in exordio ejus „ Concilii *Eusebius* eidem Ecclesiæ datus Epi- „ scopus fuerit. Quomodo ergo tres isti Episco- „ pi his Canonibus (siquidem in Concilio an. „ 341. conditi fuissent) nomina sua adjicere „ potuerint?

D. Quid actum est in Concilio Sardicensi?

M. Concilium Sardicense sub Julio Romano Pontifice, Constantii, & Constantis Imperator

rum consensu convocatum est Sardicæ, quæ Urbs est inter Illyricum, Mæsiam, & Thraciam constituta. Huic Concilio præter Osium Cordubensem Episcopum, præfuerunt Legati Romani Pontificis *Archidamus*, & *Philoxenus*, interfueruntque, teste Sancto Athanasio Apolog. 2. Episcopi Orthodoxi ad minus cclxxxiv. præter illos Antistites Orthodoxos, Sardicam etiam conveniunt septuaginta sex Episcopi Ariani, qui causæ suæ diffisi, ac perfidiarum suarum conscii, ex Urbe Sardica Philippopolim Thraciæ concesserunt Pseudo-Synodum ibi habituri. In hoc Sardicensi Concilio Athanasius, Marcellus Ancyrae, Asclepas Gaza, alique Antistites Catholici ab Ariani abdicati absolutionis judicium retulerunt, suasque Sedes recuperarunt, expulsis ab Alexandria *Gregorio*, Ancyra *Basilio*, Gaza *Quintiano* Ariani Episcopis harum Ecclesiarum invasoribus. Quin etiam aliquot Ariani Præsules ex his, qui Philippopolim secesserant, juridice citati, & coram adesse recusantes damnati sunt in eadem Synodo Sardicensi, & Sedibus suis dejectis. Nullum fidei Symbolum ediderunt Patres Sardicenses, sed declararunt, ut ait Sanctus Athanasius in Epistola ad Antiochenos, se contentos esse Nicæna fide, utpote cui nihil desset, & in qua integra, & solida pietas contineretur.

At vero septuaginta sex Episcopi Ariani, qui facto divortio, & e Synodo Sardicensi sese subducentes Philippopolim convenerant, Conventiculum ibi celebrarunt, in quo Marcellum Ancyranum Episcopum damnarunt, sententiam in Athanasium latam in Pseudo-Synodo Tyria confirmarunt, Asclepam Gazensem, & Paulum Constantinopolitanum proscripserunt, in Osium Cordubensem, Protogenem Sardicensem, Maximum Trevirensis, quin & in Julium Romanum Pontificem excommunicationis sententiam ferre non erubuerunt. Quæ omnia constant ex Epistola Synodica istius Conciliabuli Philippopolitani, quod, ut fucum facerent hi Episcopi Ariani, falso Sardicensi Concilii nomine nuncuparunt. Hanc Epistolam Synodicam, quæ tota mendaciis, & calumniis in Sanctum Athanasium, aliosque sanctissimos fidei Nicænae defensores scatet, refert S. Hilarius in fragmentis.

D. Concilium istud Sardicense fuitne Œcumenicum, & Generale?

M. Concilium Sardicense fuit Œcumenicum, & Generale, non solum convocatione, ut fatentur omnes, sed etiam celebratione, & exitu. Nec enim divortium istud Episcoporum Orientalium impedire potuit, quin istud Concilium vere Œcumenicum esset, & Generale etiam celebratione, & exitu, quia illi Episcopi Orientales, qui se a Concilio Sardicensi subduxerunt, eique adesse noluerunt, fuerunt Ariani, aut Arianorum partibus addicti. Sic enim Sanctus Athanasius in Epistola ad Solitarios inducit illos Episcopos loquentes: *Quid igitur hæsitamus? quid moramur? fingamus aliquam causificationem, & Graveson Hist. Tom. I.*

discedamus, ne, si manserimus, condemnemur. Melius est fuga erubescere, quam convictos de sicco-phanta condemnari. Non potuit ergo istud divortium Episcoporum Orientalium, qui male ob Arianam Hæresim audiebant, & ideo male sibi metuentes fugam arripuerunt; impedire quominus Sardicense Concilium esset celebratione, & exitu Œcumenicum.

D. Edidit ne aliquos Canones Synodus Sardicensis?

M. Synodus Sardicensis sanctissimos edidit Canones, qui ad nos usque pervenerunt. 20. Græci numerant. 21. Latini, quos perdocte explicat *Christianus Lupus* parte 1. Decretorum, & Canonum Synodorum Generalium, & Provincialium. Patres Sardicenses in Canonibus tertio, quarto, & septimo, secundum *Dionysii Exigui* Editionem, jus appellationum ad Sedem Romanam non instituerunt, ut quidam male asserunt, sed confirmarunt. Hoc enim ipso, quo Romanus Pontifex, ut concors est omnium Catholicorum doctrina, est jure divino omnium Episcoporum, non solum ordine, sed & jurisdictione primus, illique superior, ac Universæ Ecclesiæ Caput, consequens est, ut ad ipsum Episcopum, cum injuriam patiuntur, appellare possint. Quamobrem, jus appellationum Episcoporum ad Romanam Sedem Pontificii Primatus appendix necessaria est. Hinc bene multis exemplis, quæ Historia Ecclesiastica refert, & quæ nunc brevitate ergo prætermitto, certissime constat complures cum Orientis, tum Occidentis Episcopos, quando injuste vexabantur, ad Romanum Pontificem appellasse. Non me fugit, Illustrissimum Petrum de Marca lib. 7. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 3. in contrariam circa appellationes ad Papam abiisse sententiam. Sed omnia, quæ contra illam potestatem judicandi appellationes ab Episcopis factas ad Romanam Sedem objicit Archipræsul iste undecumque doctissimus, jam a multis eruditissimis viris confutata sunt, usum appellationum, cum in Ecclesia Orientali, tum in Occidentali post Concilium Sardicense frequentem fuisse, ejusque initia non recte a doctissimo illo Scriptore detrudi ad Concilium Trullani tempora in Ecclesia Græca, & ad octavum sæculum in Ecclesia Latina. Quapropter, in hac re fellenda Illustrissimi Præsulis sententia diutius non immorabor, sed solum breviter referam Canonem quartum Concilii Sardicensis, ex quo liquido patebit, Jus Appellationum Episcoporum ad Sedem Romanam fuisse a Patribus illius Concilii confirmatum. His verbis conceptus est iste Canon: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit coram Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Hunc Canonem si quis, abdicatis, ut par est, omnibus præjudiciis, expendere haud gravetur, incunctanter fatebitur, Jus Appellationum ad Sedem

Romanam fuisse in Synodo Sardicensi confirmatum, nec Canonem istum intelligi posse de jure tantum revisionis, sicut asserit Petrus de Marca loco mox citato, ubi ait, Jus in Synodo Sardicensi quæsitum Episcopo Romano diversum prorsus esse a judicio Appellationis, nihilque aliud ei concessum, quam ut decernere posset causæ retractationem. Quippe, inquit ille Auctor, Synodus statuit, ut si Episcopus damnatus Romanum Pontificem appellaret, in potestate ipsius sit appellationem respuere, quo pacto sententia Episcoporum Provinciæ confirmabitur; aut eam admittere, quo casu debet Episcopus Romanus judicium integrum remittere ad Episcopos Provinciæ, & ad finitimos, ut illi causæ cognitionem suscipiant, præsentem Legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendum esse. Hæc ille. Sed ista doctissima Antistitis interpretatio vim infert Canonis relato, in quo non solum conceditur Romano Pontifici jus revisionis, seu dandi novos Judices, Episcopos nimirum ex viciniore Provinciæ, sed etiam ei asseritur, ac vindicatur potestas iudicandi appellationes ab Episcopis factas ad Sedem Romanam, & discutiendi sententiam ab Episcopis Provinciæ latam, atque de ea iudicandi, si Episcopus depositus a judicio Episcoporum ad Sedem Romanam provocaverit.

D. Quid præscribitur in aliis Concilii Sardicensis Canonibus?

M. Multa præscribuntur. In primis, migratio Episcoporum a minori Civitate ad majorem, quæ fit propter avaritiam, & ambitionem, tanquam perniciofa corruptela damnatur. Episcopis ne frequentius, vel citra legitimam causam sese ad Aulam conferant, vel a suis Ecclesiis ultra tres hebdomadas absint, districte prohibetur. Dotes, quibus pollere debent Episcopi, præfiguntur. Presbyteris, & Diaconis in alienis Regionibus, & Ecclesiis morari inibetur ultra tempus Episcopis a Concilio definitum. Denique, alia circa multa Ecclesiasticæ disciplinæ capita his in Canonibus fanciuntur (a).

(a) In meis ad Concilia Labbei additamentis quæstionem excitavi de anno, quo Synodus ista Sardicensis celebrata est, quam deinde quæstionem magna animi contentione vir eruditus P. Thomas Mamachus Ord. Prædicat. multis exagitavit. Ego igitur sic olim existimavi, & sic hodie contendo Synodum nempe Sardicensis ad an. 344. labentem pertinere. Rationes late in mea illa dissertatione expendi. Cum enim occasione Synodi hujus S. Athanasius ad sedem suam Alexandrinam rediisset, idemque reditus an. 346. labente contigerit, teste Anonymo a Cl. Maffeo edito, fieri utique non poterat, ut Synodus an. 347. haberetur. Idem de anno quo S. Athanasius reversus est, confirmat S. Hieronymus in suo Chronico ex editione Pontaci, ad quem locum ita pariter admonet Vallartus in sua editione Veronenfi operum S. Hieronymi. Ita demum

confirmat Synodus Agrippinensis an. 436. habita, in qua Euphrates Agrippinensis Episcopus de hæresi damnatus, & depositus est. Hic vero Euphrates a Synodo Sardicensi legatus missus fuit ad Constantium Imperatorem ad impetrandam S. Athanasii restitutionem in sua sede. Quis rogo, sibi persuaserit, Episcopum jam damnatum, & depositum ob hæresim mitti a Concilio Catholico potuisse legatum in causa Catholici episcopi? Si autem statuerimus Concilium Sardicense an. 344. coaluisse, omnia recte fluunt; tunc enim Euphrates necdum suspectus de hæresi, nec depositus destinatus est legatus, qua legatione peracta tunc demum ab Agrippinensi Synodo damnari potuit, & deponi. Meæ huic opinioni plurimum etiam favet inscriptio Synodi Sardicensis, quam in veteri Codice Surius invenit, quæ sane annum habiti Concilii signat nomine Consulium anni 344. Vide hæc latius exposita in eadem mea dissertatione.

Hæc restituta Concilii Sardicensis Epochæ, & a pristina sede remota, alia etiam Concilia in causa S. Athanasii habita novæ sæpe epochæ assignavi. Ita Romana Synodus sub Julio, habita a me creditur exeunte anno 341. rejecitque priorem Romanam Synodum, quæ statim post Sancti Athanasii adventum in urbe celebrata a Labbeo, nullo Scriptore suffragante, refertur. Anno eodem & ante Romanam coacta est Synodus Antiochena dedicationis, de qua supra, coacta vero circa mensem Augustum.

Eodem anno nondum elapso Arriani Episcopi, Narcisus scilicet & Maris cum Sociis fidei confessionem ad Constantem detulerunt.

Concilium Antiochenum triennio post hanc oblationem Confessionis habitum ad annum 344. vel forte 345. refero, ibi vero proculsa est formula *μικροίχοι*, de qua hic Gravesonius. Eodem vel sequenti Philippopolitanum Concilium ab Arrianis celebratum.

An. 346. assigno Concilium Agrippinense, ut ex titulo actorum apparet. Hanc Synodum spuriam iudicat Tillemontius, nulla alia potiori ratione adducta, nisi quod censuerit hanc Synodum ante Concilium Sardicense convenisse, adeoque damnare nequam quam potuisse Euphratem Agrippinensem Episcopum, quem Synodus Sardicensis anno sequenti, ut ipse opinatur, dignum iudicavit, ut legatione ad Constantium suscepta ejusdem Concilii nomine restitutionem Athanasii impetraret.

Anno 347. assignavi Synodum Mediolanensem pro admittendis primo in Communionem Ursacio & Valente, quos dein post biennium an. 349. Julius Papa in suam pariter communionem recepit.

An. 348. adscribo Synodum Carthaginensem, in

in qua mentio facta est legationis a Paulo, & Macario in eam provinciam gestæ. Venerunt enim illi an. 348. Eidem etiam assigno Romanum Concilium biennio post Mediolanense congregatum, teste S. Hilario fragm. 2. In illo damnatus est Photinus.

Non vacat ulterius excurrere, cum in nova Conciliorum editione, quæ nunc Venetiis prodicitur, latius hæc omnia discussa videri possint. Ex hac etiam dissertatione pronum est repetere plura alia Concilia, quæ hic apud Gravesonium non apparent.

D. Recense alia Concilia, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata.

M. Anno 347. paulo post Concilium Sardicense, celebratum est aliud Concilium Mediolanense, quo Legati Julii Romani Pontificis confederunt. Photinus, ob instauratam Pauli Samosatani impietatem damnatus est. Ursacius Syngidonis, & Valens Mursi in Pannonia Episcopi libellum poenitentiae obtulerunt, & veniam eorum omnium, quæ contra Nicænum Concilium, & S. Athanasium acitabant, postularunt; Ariam hæresim abjurarunt, eisque pacem, & reconciliationem indulgit Concilium, ut docet Epistola Synodica Concilii Ariminensis, idemque testantur ipsemet Ursacius, & Valens in altero libello, quem postea prorrerunt Romæ Julio Papæ his verbis: *Item Anathema dicimus iis, qui negant Christum Deum esse, & Filium Dei ab æterno; sicut per priorem libellum nostrum, quem apud Mediolanum porreximus.* In superiori nostro Colloquio mentionem fecimus trium Conciliorum, quæ Sirmii fuerunt celebrata, quorum primum habitum est anno 451. & in eo damnatus Photinus Sirmiensis Episcopus, qui asserbat Christum esse purum hominem. Alterum Concilium Sirmiese indixerunt Ariani anno 357. & in eo edita est fidei formula plane Ariana, cui subscripsit Osus Cordubensis Episcopus. Tertium Sirmiese Concilium fuit convocatum anno 358. & in eo proculsa fuit fidei formula, in qua Filius Dei Patri per omnia similis dicitur. Constantius Imperator, profligato Magnentio anno 353. Arelate sua tricennalia celebravit, & ea occasione in hac Civitate Arelatensi coactum est Concilium, in quo hic Imperator in Arianos propensissimus, instigante præcipue Saturnino Arelatensi Episcopo Ariano, Orthodoxos Antistites, & præsertim Vincentium Capuanum Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum damnationi Athanasii subscribere coegit. Solus inter Episcopos restitit Paulinus Trevirensis Episcopus, qui in exilium apud Phrygiam amandatus est. Hunc infaustum Legatorum suorum exitum vehementer dolens Liberius Papa, misit ad Constantium Imperatorem alios Legatos, qui ab eo impetrarunt convocationem Concilii Mediolanensis, habiti anno 355. ad quod pauci ex Oriente, trecenti vero, & amplius ex Occidente Episcopi convenerunt. Tanta fuit in hoc Concilio Tyrannis Constantii Imperatoris, ut Episcopi Occidentales coacti fuerint subscribere damnationi Sancti Athanasii, cujus accusatorem

palam se professus est Imperator; qui Eusebium Vercellensem, Luciferum Calaritanum, Dionysium Mediolanensem, & alios in propugnanda fide, & iustitia infracti pectoris viros exilio damnavit, ut testatur Sanctus Athanasius in Epistola ad Solitarios (a). Saturninus Arelatensis Episcopus Arianus a Constantio Imperatore obtinuit, ut Biterris Concilium cogeretur anno 356. Saturnino strenue obstitit S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, & hac de causa a Constantio Imperatore in Phrygiam relegatus est Sanctus ille Antistes, cujus beneficio solæ Galliæ piaculo Arianae Hæreseos fuere liberatæ. Hinc Galli fidem suam testatam Sancto Hilario reddiderunt, idemque de illorum constantia gratulatus est Sanctus Doctor in l. de Synodis. Rursum Ariani Antiochiam convenerunt anno 348. in qua præeunte Eudoxio illius Urbis Episcopo Ariano, Synodum celebrarunt, & voces *ὁμοίσιον*, idest substantialis, & *ὁμοούσιον*, idest similis in substantia, rejecerunt. Sed Basilius Ancyranus Episcopus, & Semi-Arianorum Signifer Synodum Ancyranam eodem anno coegit, in qua secunda Sirmiensis Formula, quæ a puris Arianis edita fuerat, damnata est, statutumque, Patri Filium substantia esse similem. Id ægre tulerunt Episcopi, qui erant puri Ariani, videlicet Eudoxius, Acacius, Valens, & Ursacius, qui Constantium Imperatorem pravis suis artibus induxerunt, ut, divisis Episcopis, Occidentales quidem Arimini, Orientales vero Seleuciæ congregarentur. Annuit Imperator, maxime cum Urbs Nicomediæ, in qua Synodum prius indixerat, horrendo terræ motu fuisset concussa, eademque calamitatem experta esset Nicæna Civitas, quam postea pro celebratione Synodi loco Nicomediæ designaverat idem Imperator. Anno itaque 359. habita est Synodus Ariminensis, cui interfuerunt 400. Episcopi Occidentales, qui, rejecta fidei Formula sibi ab Ursacio, & Valente oblata, Nicænam fidem unanimi consensu probarunt, hanc ad omnia abunde sufficere iudicarunt, arque ad Constantium Imperatorem Legatos miserunt, qui eum de rebus in hoc Ariminensi Concilio gestis certiore facerent. At Legatorum adventum prævenerunt Ursacius, & Valens, qui vehementer offensi, quod fuissent in hoc Concilio damnati, animum Imperatoris in Orthodoxos Episcopos ita exasperarunt, ut illius jussu Taurus Præfectus Episcopos Arimini detinuerit, eosque sic variis modis affligerit, ut tandem quæ animorum dejectione, qua precibus, & pollicitationibus, qua vi, qua dolis, & artibus, qua longioris moræ tædio, qua quietis, & revivendarum suarum Ecclesiarum desiderio compulsi fuerint Episcopi ad subscribendum Formulæ fidei, quam Ursacius, & Valens Nicææ in Thracia ediderant. Hunc infaustum Episcoporum lapsum his verbis eleganter describit Oratio 21. Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Procul dubio stulte egerunt Pastores, ut cum Scriptura loquar, & Pastores multi vineam meam pervasaverunt, & desiderabilem partem, hoc est Dei Ecclesiam multis sudoribus ipsius*